



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 2. Contrahitur-ne ideo aliqua affinitas?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



124 TRACTATUS III.

eum tanquam infirmum, & adhuc imbecillem; hoc autem fieri non potest à non Confirmato, cum sit ipse etiam imbecillis, & infirmus. Quare non confirmatus non potest esse patrinus in Sacramento Confirmationis.

*Quæst. 2.* Contrahitur-ne aliqua affinitas in Sacramento Confirmationis, sicut in Baptismo?

*Resp.* Ut ait Bonifacius Papa relatus in *Can. Nedum. De Cognat. spirituali in 6.* none, omninò contrahitur; sic enim ait. *Ex Confirmatione quoque, seu frontis Chrismatione, spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta.*

*Conc. Trid. sess. 24. De Ref. Matr. cap 2.* Et Concilium Tridentinum ait; *Ea quoque cognatio qua ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem & Confirmatum, illiusque Patrem & Matrem ac tenentem non egrediatur.*

*Quæst. 3.* Quid significat alapa quam Episcopus leviter, infligit Confirmato?

*Resp.* Episcopus, inquit sanctus Carolus, *5. Carol. Act. p. 4. De Sacram. Confirm.* eum leviter in maxilla cadit, quem Chrismate confirmat, ut sciat homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna & victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis; deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua non hujus vita jucunditates & commoda querat, sed incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat. Ac præterea intelligat officii sui esse, in acie stare, telaque unde veniant observare: ita ut, quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque ledantur, anima tamen nullo pacto offendatur.

*Quæst. 4.* Quare Episcopus Confirmatum signa Chrismate signo Crucis in fronte?

*Resp.* In Sacramento Confirmationis, ait